

Gd. 62.



S C H E D I A S M A
DECIMUM ET ULTIMUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORUM

SPECIATIM DE PERSONA ET FAMILIA.

~~~~~

Q V O
AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

VERNAM

D. XIII. MENSIS MARTII, A. R. S. MDCCCLXXX.

CONCELEBRANDAM,

PATRONOS, FAVTORES,
ATQUE
AMICOS LITTERARUM

OMNI OBSERVANTIA

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

SCHEIDIASM
DECIMUM ET ULTIMUM

DE VITA

ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORUM

EPICATA DE PERSONA ET MANE

.....

AD UNIVERSITATEM

GYMNASII IDSTADENSIS

.....

.....

CONCELEBRANDAM

PATRONOS, FAVTORES,

.....

AMICOS UT ERARUM

.....

.....

IOHANNES WAGNER


PROFESSOR ET DIRECTOR GYMNASII

.....





I. DE PERSONA REGIS ADOLPHI.

 Magis disparile, varium & discrepans nihil est, hominum opinionibus, & de omnibus, etiam maximis præstantissimis-que Regibus judiciis. Quem unus scriptor ad cælum prope extollit, eundem alter e summis ad ima detrudit: & quantum honoris alicui Principi hic adstruit, tantundem ille, quasi invidet, detrahit: ut non sæpius celeriusque fortunæ, quam opinionum orbis, circumagatur. Ita *Adolphus* noster *laudatur ab his, culpatur ab illis.* (a)

Igitur rem difficilem suscipiunt, qui in tanto scriptorum dissensu de *persona Adolphi* judicare velint, nisi factis potius, quam levitate opinionum illum metiendum esse meminerint.

Ille naturam fauricem habuerat in corpore fingendo: *statura mediocri, agilis, amabilis*, fuisse dicitur. (b)

D d 2

Obti-

(a) *Senckenberg Select.* T. IV. p. 40. Es sind nicht gleiche Urtheile bey denen Historiis von diesem König Adolpho, denn etliche schelten ihn übel, als einen unnützen König, andere rühmen ihn, als einen fürtrefflichen Fürsten. Damit ist es gegangen, wie es noch gehet, daß ein jeder von der Sache redet, wie er ihm günstig, und welcher Parthey er ist. Gemeinlich aber hat der König Adolph einen guten Ruhm, als eines tapfern Fürsten.

(b) *Annal. Colmar.* ad a. 1292. p. 26.

Obtigit ei valetudo secunda & firmitas corporis, quæ ad usum belli & alia Imperii negotia inprimis pertinebant, cum istorum temporum hæc esset ratio, ut Reges, provincias Imperii obeundo, plurimum temporis in itinerebus consumerent.

Ad quam corporis firmitatem plurima animi bona accefferant. *Linguae Germanicæ, Latine, Gallicæ* peritus, adeoque doctior aliis Principibus, ævo obscuro viventibus, existimatus est. (*)

Multo maxime *ingenio erat validus.* (c) Hinc ille homo sui iudicii, plus se ipsum, quam alios consulens, *Gerhardi Moguntini* consilia aliquamdiu secutus, postea neglexit.

Neque aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habebat: *quæ sentiebat, audacius celeriter exprorsit.* (d)

Virtus ejus bellica scriptis illustratur & celebratur multis. Ille fortis animo; promptus manu, gloriæ militaris appetens, in pugna *Woringensi, Thuringia, Alsatia, ipso prælio Gellheimensi* fortitudinem comprobant suam. (e)

Idem, qui fuit strenuus armis, *aciem instruendo*, inprimis clarus habetur. (f) Atque ita post obitum fortissimi Regis *Rudolphi* spes illius similem eligendi non fecellit Principes Electores.

Neque tamen hoc est dissimulandum, quod obscurari non potest, *Nasovium audacissimum & nimis vehementem ad pugnandum fuisse.* (g) Ita-

- (*) Ibidem. Schediasma I. p. 4. seq.
 (c) *Chron. Belg.* Iste Adolphus rex fuit homo magnanimus, & magni consilii, juvenis quidem ætate, sed senex moribus.
 (d) Id cognoscitur ex responso *Duci Brabantie* dato, vid. *Anon. Leobensis* p. 874. *Cuspianus de Cesaribus* p. 443. Priusquam eligeretur in Regem, quinque excellentissimos in apparatu signorum Ducis Brabantie satrapas prostravit, sed captus ipse Duci offertur, & rogatus, quis esset? Comes sum, inquit, *Nassovius*, rerum Dominus non magnarum, & rursus ad Ducem: heus, tu quis es? Sum, inquit *Dux Brabantie*, quem bello persequutus es assiduus, ac cui quinque Duces strenuissimos occidisti: At Adolphus, miror, inquit, quomodo enses meum evaseris, quem in te acui, quemque præ omnibus occidere animus gestiebat. *Dux Brabantie* audiens *liberam hominis vocem*, e captivitate liberum dimisit, muneribusque honoratum in familiaritatem suam accepit. Conf. *Geschichte des römischen Königs Adolph*, p. 90.
 (e) In *Chron. Alberti Argent.* p. 110. laudatur cor validissimum. In *Henr. Steronis* annalibus p. 574. dicitur miles multum strenuus; a *Continuatore Martini Poloni* vir virtutibus celebris, & præliis strenuus & famosus; a *Martino Euldensi* vir strenuus in armis, in corde toto magnificus & virtutibus plenus. Idem iudicat *Ptolomeus Lucentis* in *Hist. Eccles. apud Muratorium* rer. Ital. T. XI. p. 1198.
 (f) *Henr. Sero.* p. 578. Rex volens suam aciem (in quare erat peritissimus) ordinare.
 (g) *Velkmari Chron.* in *Oesele script.* rer. Boicar. T. II. p. 536. Rex super omnes audacissi-

Itaque hujus audacia, obviam eundo periculis, quæ sæpius hostibus erat terrori, ipsi in *prælio Gellheimensi* maxime fuit malo. (h) Nemo autem non videt, maximam culpæ reprehensionem in eo esse, quod *Adolpho* prælium ad Gellheim feliciter non evenit; secus si ceciderit, in magna laude poneretur regis magnanimitatis vindicatio.

Neque tamen *res bellicæ*, in quibus virtutem ostentabat suam, illum impederunt, quo minus *pacis artibus* in rempublicam incumberet. Imaginem virtutum, quam *Rudolphus* reliquerat, in administrando Imperio sibi proponens, animum & mentem suam ipsa cogitatione Regis excellentis conformare studebat. Decus & auxilium imperio suo addere statuerat, cum domum suam, cum summis Germaniæ Principibus, *Rege Bohemiæ & Duce Baviariæ*, imitans *Rudolphum*, sanguine & affinitate conjungeret. (i) Et si a Pontifice *Bonifacio VIII.* sæpius *Romam*, invitatus esset, ad coronam Cæsaream illi imponendam, tamen ejusdem *Rudolphi* exemplo inductus *Italiam* adire noluit. (k)

Attamen ad majestatem suam in *Germania, Burgundia & Italia* tuendam omne contulit studium. (l)

Ille in *parato & magno exercitu*, qui in Thuringia, & Alsatia multa virtutis facinora fecerat, satis habebat præsidii, ad splendorem majestati suæ conciliandum. (*)

Id quoque illi laudi ducitur, quod in gravissimis reipublicæ negotiis fuerit maxime *laboriosus*. Mirum est, quot quantosque *labores* tam paucis imperii annis sustinuerit.

Cujus *constantia & firmitas animi* facile apparet. Quam tenax fuerit propositi, ex bellis, quæ in Thuringia, Alsatia & finibus Rheni gesta sunt, atque ex Pontificis studio frustra suscepto, consilia belli contra *Regem Gallicæ* mutandi, intelligitur.

Præterea in *Nassovio* alias virtutes conjunctas videmus, quas singulas in aliis miramur. Inter has excellit *amor patriæ*, quo impulsus, bonis Imperii terras suas hereditarias non amplificavit, sed in omnibus rebus, quas gefit,

D d 3

cissimus & nimis vehemens ad pugnandum. Idem sentit de *Adolpho Viscondurano*, qui illum vehementem & audacem in factis vocat.

(h) Schediasma IX. p. 181. seq.

(i) Schediasma I. p. 18. seq.

(k) *Rudolphus* olim ita respondisse dicitur: Multos Allemannorum Reges Italia consumpsit, non ibo Romam, Rex sum, Imperator sum, nec minus pro utilitate reipublicæ me facturum confido, quam si Romæ fuisset coronatus. Goldast. const. Imp. T. I. p. 311.

(l) Schediasma V. p. 98.

(*) Schediasma IV. p. 85.

fit, rationibus Imperii prospexit. Namque, ut hoc utar, *Thuringiam* sua pecunia emtam uni filiorum suorum tradere potuisset, quemadmodum *Rudolphus Austriam* filio suo *Alberto* dederat. At noster domui suæ ita non consulens, *Thuringiam Imperio retinuit*: quam ejus successores tanquam *bonum imperii* sibi vindicavit, nullo filiorum *Adolphi* reclamante. (m)

Neque hoc loco prætereundum est, quod *oppidis Imperialibus* multa privilegia & immunitates concessit, omnemque dedit operam, ut ista opibus & gloria magis magisque florerent. (n)

Amori patriæ, qui non est obscurus, adjunxit *justitiam*, quæ nisi a Principibus colitur, omnia corrumpuntur, mores depravantur, cives per fas nefasque ruunt, ipsa respublica evertitur.

Vix igitur *Adolphus* regnum erat adeptus, cum *pacem publicam a Rudolpho restauratam*, confirmaret. (o)

In *aula Adolphi* judicium erat constitutum, in quo de rebus publicis quæstiones habebantur: cui non solum *justitarius* præfuit, sed etiam sæpius, ipse Rex interfuit, ut jus incorrupte diceretur. (p)

Ne-

(m) *Martinus Minorita* hæc scribit de *Adolpho*: Imperio valde fidelis, liberos suos de rebus Imperii in nullo ditavit, sed Imperium ampliare toto mentis conatu elaboravit.

Huldericus Mutius ita consentit: regnavit magna laude, ita enim administravit omnia, ut nusquam notari potuerit, sua quærere, aut favore suo evehere. Præfecit rebus administrandis, quos dignos putavit, qui idoneis virtutis dotibus utiles videbantur, magnis laboribus & vitæ discrimine sæpe dilatate Imperium studuit. Pecunia sua cœmisse scribitur ad Imperium quasdam urbes. Pari modo illum laudat *Naucerus Chron.* Vol. II. p. 39. *Adolphus* regnavit annis VI. valde fidelis Imperio, in nullo suos liberos de rebus imperii ditavit, sed imperium ampliare disposuit. Totum enim principatum *Misnensem* cœmit, & imperio incorporavit, quam usque ad mortem suam quiete tenuit, sed successor suus Rex *Albertus* totum perdidit. *Conf. Schediasma IV. p. 83. seq.*

(n) *Lehmanni Chron. Spir.* p. 584. Die unparthenisch Königs Adolphi's Historie beschreiben, die legen demselben dieß unsterbliche Lob zu, daß sein Herz, Gedanken, Rath und Thaten zu Vermehrung und Verbesserung des Reichs gestanden, und deshalb weder Bemühung noch Gefahr gesucht. Insonderß hat er der Reichsstände Aufnehmen und Wohlstand den römischen Königen und Kaisern fruchtbar und fürträglich erlassen, und deshalb sich gegen dieselben mit Ertheilung nützlicher Privilegien und Freyheiten, dadurch sie zu Kräften und Reichthum erwachsen können, mild und loblich erwiesen, und hierinnen seines Vorfahren König Rudolphi's Exempel gefolget, welcher zu der Städte Bedeyen an königlicher Beförderung und Vorschub nichts erwinden lassen.

(o) *Schediasma II. p. 33.*

(p) Rex ipse mentionem facit hujus judicii in privilegio quodam *Spirensibus* dato *Lehmanni Chron. l. c.*

Neque dubium est, quin *Gerlacus de Bruberg*, ejus opera jam *Rudolphus* in administranda justitia fuerat usus, *Adolpho* hoc præstiterit officium. (*)

Quam sapientibus autem legibus hujus fori disciplina fuerit ordinata, quanta prudentia hujus judicii ratio definita sit, quanta æquitate jus dicere-tur, facile cognoscitur ex causa *Henrici I. Hassiæ Landgravii*, & filiorum quæ in hoc senatu regio fuit acta. (g)

In *Provinciis* constituit prudentissimos procuratores, quorum fides sæpius spectata & cognita erat, qui non solum jus dicerent, sed bene quoque & strenue exsequerentur. Illos enim in officiis retinuit, quos *Rudolphus* usu fide & integritate præstantissimos cognoverat. (r)

Neque insitandum est, illum licentiam immoderatam magna severitate constrinxisse, & punivisse; quemadmodum *Rasselmannus* perfidiosus, & *militēs quidam scelerati in Thuringia* rigorem illius justitiæ experti sunt. (s) De ipsa *justa Thuringiæ emtione*, cui multi injuriæ nomen imponunt, supra diximus. (†)

Ut vero noster refractariis & majestatis suæ contemtoribus *inmitis* fuit, ita facile precibus commotus veniam & impunitatem dare consueverat.

Igitur postquam *Conradus*, Episcopus Argentinensis fraterque *Friedericus de Lichtenberg*, & *Comes de Werde*, expugnata *Colmaria*, ad pedes *Adolphi* prociderant, moverunt Regem, ut ad lenitatem se daret. (l)

Præterea hic Rex *religionis cultor & tutor* fuit. Innumera privilegia, *Monasteriis* concessa & confirmata indicio sunt, quantopere religio ab illo adamata & culta fuerit. Tanto pietatis studio ducebatur, ut *Monasterium Clarenthal* in terra *Nassoica* sumtibus suis constitueret nihilque præmitteret, quod ad illud sustentandum & ornandum pertineret. (u)

Deinde si in antiquorum temporum memoriam redimus, atque etiam, quæ nuper acciderunt, non plane ignoramus, multos Reges & Principes non tam, quos ferre possent cives sumtus, sed potius, quomodo suæ sive ambi-tioni,

(*) *Hist. de Landgrav. Thur.* ad a. 1290.

Idem *Gerlacus de Bruberg* capitaneus pacis per terram *Thuringiæ generalis* cum duodecim conservatoribus pacis dicitur. *Schwartzgen Dipl. T. I.* p. 778.

(g) *Schediasma VI.* p. 117. seqq.

(r) *Annal. Colmar.* ad a. 1292. Procuratores in officiis retinet. *Otoni de Ochsenstein*, nepoti ex sorore *Rudolphi*, *Allatiam* & quæ ab ea parte *Rheni* sunt committit: *Comiti a Cazenelnbogen*, quæ ab alia parte *Rheni*.

(s) *Schediasma II.* p. 46. *Schediasma IV.* p. 87.

(†) *Schediasma IV.* p. 82. seq.

(l) *Chron. Colmar.* ad a. 1293. *Schediasma II.* p. 46. seq.

(u) *Schediasma VIII.* p. 151. seq.

tionem, sive voluptati satisfecerent, cogitasse. Noster, qui ad suam magnificentiam sustinendam nimis oneribus Imperium premi volebat, *non se luxu corrumpendum dedit.* (x)

Atque hæc quidem etsi summa sunt atque præclara laude dignissima habenda, tamen noster non *similitudinem speciemque fortune Rudolphi secunde* gessit. Nescio, quo fato acciderit, ut sapientissima Adolphi consilia sæpissime minus prospere processerint. Neque tamen id *Nassovio* contemptum adferre debet, cum fas sit, ut magnos viros non *fortuna*, sed *virtute* maxime metiamur.

II. DE FAMILIA REGIS ADOLPHI.

Adolphus, ut supra diximus, *Imaginam*, filiam *Gerlaci*, Dynastæ terræ Limburgensis prope Lanam duxerat uxorem. (*)

Pro more temporum Rex illam in itineribus suis habebat comitem. (y)

Grave fuit vulnus, quod amantissimi mariti præmatura morte in *prelio Gellheimensi* cadentis, illius animo inflictum est: Hæc igitur marito superstes, multos annos vidua vixit, & *Weilburgi* aliquamdiu domicilium habuisse existimatur. (z)

An Rex *Albertus* post obitum *Adolphi Imagina* quosdam Imperii reditus ad viduitatem levandam assignaverit, non liquet. At non est obscurum, illam *regnante Henrico*, 600 libras Hallensium ex Imperii redditibus *Fridburgensibus* & *Wezlarisensibus* accepisse. (a)

IIla

(*) *Chron. Colmar.* p. 51. Solenne tentorium Rex non erexit. nec prandia, nec cœnas solennes faciebat: tantum XII. vasa vini & alia dominis quotidie ministrabat.

(*) *Schediasma I.* p. 5.

(y) Sub initio anni 1298. illa *Wimpins* morans d. 27. Jan. consensum suum ad *Monasterium Clarenthal* constituendum & dotandum significavit. *Schediasma VIII.* p. 155.

(z) Certe hoc loco 1305. cum filio suo *Gerlaco* dedit litteras vid. Joannis rerum Mog. in tab. ad p. 666. *Imagina*, von Gottes Gnaden Königin, eheliche Wirthin, etwa Adolfs Römisch Königs, und Gerlach, Gräve zu Rastau, unser edelster Sohn, bekennen, daß wir mit Willen und Berhengnis des edeln Mannes, Johanssen, Herrn zu Limburg, unsers Bruders, und der edeln Frauen Agnesen von Westenburg, unsrer lieben Schwester ic.

Datum Weilburg, der Freyt. vor St. Thomas 1305.

(a) *Guden. syllog.* p. 48. Neque eadem fortuna fuit uxor vidua Regis *Rudolphi*.

Illā igitur, quæ tutelam filii sui *Walrami* minimi natu suscepit, una cum filio suo *Gerlaco*, quoad *Walramus* adolevit, imperio præfuit, & multos annos post mortem *Adolphi* complevit. Certe illa adhuc a. 1316. fuit in vita, quod ex concessionibus ab ista confirmatis facile conficitur. (b) Monasterium *Claventhal*, cujus ædificatio tempore *Adolphi* suscepta fuit, non solum perficiendum curavit, sed etiam omnia ejus bona & privilegia a. 1304. denuo confirmavit. (*)

Quo tempore fuerit extincta doceri nequit. Sed illam ultimis vitæ annis in Monasterio *Claventhal* confedisse, in eoque fuisse sepultam, non dubia adfunt documenta. (c)

Ex qua igitur *Adolpho* decem liberi nati sunt, hoc ordine in lucem editi: *Henricus*, *Adelheid*, *Rupertus*, *Imagina*, *Mechtild*, *Gerlacus*, *Adolphus*, *Walramus*, *Adolphus*, *Walramus*: quorum duo posteriores *porphyro geniti* dicuntur. (d)

Equidem de illis liberis, quorum vita fuit brevior, silebo, sed de cæteris, quorum vita memoria dignior, pauca proferre conlitiui. Itaque primo loco nobis occurrit *Rupertus*, qui post mortem *Henrici* ab ipso patre in sponfalibus cum filia Regis Bohemiæ *primogenitus* appellatur. (e)

Quo anno lucem adspexerit *Rupertus*, adhuc nemo est, qui probare possit. (f)

Vix

dolphi, de qua *Albert. Argent. Chron.* p. 104. hæc tradit: Rex filiam fororis Regis Franciæ in senio juvenem recepit uxorem, quæ tamen post mortem Regis rediit satis egens.

(b) *Guden. cod. dipl.* T. III. p. 144.

(*) *Gottfr. Ant. SchenF, Geschichtsbeschreibung der Stadt Wiesbaden*, p. 397.

(c) *Joannis T. I. rer. Mog. in Tab.* ad p. 778.

Sagelgans Nassauische Geschlechtsstafel, p. II.

SchenF, l. c. p. 404.

(d) *Sagelgans*, l. c. p. 12. seqq.

Schediasma I. p. 5.

Cuspianus de Casaribus p. 445. varios errores de familia *Adolphi* memoriæ prodidit: Ex *Imagina*, inquit, tres filios genuit, *Adolphum* primogenitum, cui Regis Bohemiæ filiam desponsavit. Sed ante nuptias moriuntur. Aliorum filiorum nomina hactenus non inveni, sed alteri filiam *Henrici*, *Burggravii* de *Norimberg*, alteri filiam *Rudolphi* *Palatini* conjuges datas reperio in annalibus. *Conf. Schediasma I.* p. II.

(e) *Gubenus Cod. Dipl.* T. I. p. 859.

(f) Anno 1287. noster meminit cujusdam filii vid. *Tolner cod. hist. Pal.* p. 76. quem *Tolner* *Gerlacum* fuisse putat, quia patri in comitatu successerit. At, ignarus est fratris *Rupertii* natu majoris.

Vix *Adolphus* Imperii gubernacula tenebat, cum, ut sapius diximus, sponsalia *Ruperti* contraherentur. (g)

Sed præmatura mors sponsæ, quæ *Judith* vocatur, obstitit, quominus matrimonium fuerit perfectum. (h)

Quæ igitur mors tantum valuit, ut postquam conjunctio sanguinis defecit, Rex Bohemiæ *Wenceslaus* minus studiosus *Adolphi* esset, adeoque in exactionem illius facilius consentiret.

De fide illius singulari in patrem prælio Gellheimensi, captivitate & liberatione jam supra mentionem fecimus. (i) Qui vero postquam e custodia *Archiepiscopi* fuit emissus, se opposuit illi, injurias patris cum aliis vicinis Principibus studens persequi. (k)

Pari modo *Gerhardus* in domum *Adolphi* tam implacabile susceperat odium, ut etiam novum Monasterium *Clarenthal* consecrare nollet. (*)

Circiter id tempus *Episcopi Rhenenses*, cum novo Rege *Alberto* de vectigalibus *Rheni* in gravem inciderant contentionem. (l)

Neque *Rupertus* suspicione carebat, ipsum a partibus hostium *Alberti* flare. (†)

At *Rupertus* in hoc bello contra *Albertum* non videtur arma cepisse, cum a. 1302. d. 21. Nov. quo anno bellum de vectigalibus fuit compositum, adiret.

(g) Schediasma I. p. 18.

(h) Anon. Leob. T. I. script. Austr. ad a. 1292. p. 869. Schediasma I. p. 19. Neque tamen defunt, qui contendunt, *Rupertum* illam habuisse in matrimonio perfecto. Ita enim *Continuator Martini* scribit: Tunc *Adolphus*, ut se roboraret in regno, filiam Regis Bohemiæ filio suo recepit in uxorem, aliasque parentales contraxit, videlicet cum Duce Bavariæ, & cum Henrico, Burggravio de Nurnberg.

Idem sentire videtur *Minorita Werner Saulheimensis* apud *Engelgans* l. c. p. 8. nisi forte illorum verba de sponsaliis interpretanda sint.

Taceo conjecturam *Gudeni* cod. dipl. T. I. p. 861. sponsam promissa sua non servasse, & *Rudolpho*, Duci Saxonie nuptam fuisse.

(i) de Roo in annal. Austr. p. 6. *Annal. Colmar.* ad h. a. Dominus de Rinperch filium Regis *Adolphi* de captivitate firmissima liberavit. Schediasma IX. p. 184.

(k) *Annales Colmar.* l. c. hæc referunt. Filius Regis *Adolphi* opposuit se Domino *Archiepiscopo Moguntino*, habens adjutores decem Principes vicinos suos, terræ Dominos potiores.

(*) *Schenke*, l. c. p. 398.

(l) *Chron. Colmar.* p. 61.

(†) *Jovanis spicileg.* p. 331. ubi: *Sigfrid de Eppenstein* a. 1301. Regi *Alberto* auxilium contra hostes promittit, excepto *Ruperto*, Comite *Nassoviae*, contra quem nullam opem pollicetur. Quod non fieri potuisset, si nihil mali a *Ruperto* timendum fuisset.

adiret Regem Albertum, & confirmationem privilegiorum, oppidi *Ladseina* facillime impetraret. (**)

At sublata a. 1302. illa discordia de vestigialibus, *Albertus* circa a. 1304. Regem Bohemiae habebat adversum, & plures Principes & Barones, rebellionis socios, cum *Wenceslao* facientes; in quorum numero *Rupertus* Comes *Nassovia* ponitur. (m)

Qui igitur postquam in gratiam cum *Wenceslao* redierat, in Bohemiam vocatus est, ut illi contra *Albertum* ferret opem. At hoc certamine finito *Rupertus* in Bohemia aliquamdiu moratus, naturam concessit, & in *maulsoleo* regio, ubi illius quiescebat *sponsa*, sepultus est. (n)

Jam sequitur *Gerlacus*, filius *Adolphi* ex ordine natiuitatis tertius, cum multis annos vivendo attingendi potestas facta fuit. (o)

Nomen *Gerlaci* illi ab avo suo *Gerlaco*, Dynaste terrae *Limburgenis* obtigisse videtur. Quamdiu frater ejus *Rupertus* vixit, nulla illius est memoria. Is stirpem *Walrami Nassovici* propagavit, in cujus posteris hodie salus & ornamentum domus *Nassovica* nititur. Qui sine dubio fuit ille filius, quem noster *Adolphus* cum filia *Alberti Austriaci* conjugio fuisse copulare studebat; jam antea filii *Rupertus* sponsalia cum filia *Regis Bohemiae* erant contracta. (p)

Ille igitur cum matre sua *Imagina*, quae curam filii *Walrami* gessit, circa a. 1304. vel 1305. terris hereditariis imperare cepit. (q)

E e 2

Quan-

(**) Schediasma I. p. 21.

(m) *Sifridus Presbyter* L. II. epitomes narrat: a. 1304. Facta concordia inter Regem *Albertum* & Archiepiscopos saepe dictos, Rex Bohemiae *Wenceslaus* adhuc *Augusto* se opponens pluribus Principibus & Baronibus & militibus multis larga stipendia tribuit, quibus ad rebellandum dicto Regi *Alberto* se muniret. Inter hos praecipue erant Marchiones de *Brandenburg*, scilicet *Otto* cum telo, & *Hermannus longus*, gener *Augusti*, filius quoque *Regis Adolphi Rupertus*.

(n) *Hazegans* l. c. p. 8. ex *Minorita Wernero Saulheimensi* haec refert:

Man starbe dysselbe Grave *Ruprechts* Trawe gar junge, und Er bliebe in seinem Heimet in *Deutschlanden* bey seinem Vater dem *Römischen König*, bis an des *Römischen Königs* Ende, darnach ward er beruffen, das er zu hilfe sollte thomen in einen streit seinem schweher, dem *König* in *Behem*, des *Dochter* er gehabt hat, also bliebe er daselbst und verschiet in seinem Bet, christlichen begraben bey sein Hausfrawen in die *Königliche Begrebe* der *König* von *Behem*.

(o) *Hazegans*, p. 14.

(p) *Schediasma* II. p. 34.

(q) *Hazegans*, p. 14. conf. *Schent*, l. c. p. 397. & tabula not. z. paullo ante citata. Quum igitur *Rupertus* a. 1303. in vivis fuisse dicitur, is vel anno 1304. vel initio 1305. vitam posuisse videtur.

Quando *Walramus*, qui, postquam ad idoneam res suas gerendi aetatem pervenit, una cum fratre *Gerlaco* imperium exercuit, vita excesserit, adeoque *Gerlacus* terris praefuerit solus, non apparet. Id vero manifestum est nomen *Walrami* in rebus imperii communis a. 1324. ultima vice occurrere. (*) At *Gerlacus*, qui post illius mortem solus imperavit, *dives & potens dominus* dici solet. (**)

Moenia oppidi *Idsteinae*, quorum exstructionem Rex *Adolphus* ejusque filius *Rupertus* inchoaverat, *Gerlacus* absolvenda curavit. (r)

Vestigia piorum parentum persequens, non solum novum *Monasterium Clarenthal* perficere studuit, sed etiam illud post tristem vastationem bonorum a Rege *Ludovico Bavaro* factam, conferendo alia bona, detrimentum benigne resarsit. (s)

Quid? quod etiam apud exteros illius sapientia & probitas in claritudinem pervenit. *Ludovicus*, Dux Bavariae, postea Rex a. 1312. capiebat illum arbitrum in quadam controversia cum *Ulrico*, Comite Hanovienfi judicanda. Idem *Gerlacus*, quum *Ludovicus Bavarus* cum fratre *Rudolpho* de terris paternis a. 1313. transigeret, huic pacto interfuit. (t)

Posteriori anno varia acciderunt, quibus noster illustrior esse cepit. Post fata Regis Romani *Henrici* cum alii Principes summam Imperii ad *Ludovicum Bavarum*, alii ad *Fridericum* Ducem Austriae transferrent, *Rudolphus*, Comes Palatinus, frater *Ludovici*, huic valde adversatus est, & *Gerlaco Nassovio* dedit negotium, ut sententiam suam ad *Fridericum* Austriae eligendum proponeret. (*) Ipse quoque *Gerlacus* aderat ut testis, cum *Fridericus* ab *Archiepiscopo Coloniensi Henrico Bonna* coronaretur. (u) At res deinde aliter evenit, ac rati sunt. *Ludovicus Bavarus*, regnum obtinens, fratrem *Rudolphum* terris fortunisque omnibus expulit. Hic igitur paulo ante Dux, genere, fama atque copiis potens; nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes expectans, fugit in *Angliam*, aut ut alii putant in *Ausvriam*. (x)

Quum igitur uxor *Rudolphi* soror esset *Gerlaci*, & hic *Fridericus* in multis negotiis contra fratrem adfuisse, *Ludovicus* in Nossovium suscepit odium. Quam ob causam in hoc fatali & pernicioso bello, quo Germania

(*) *Sagelgans*, p. 14.

(**) *Trithemius Chron.* T. II. p. 198.

(r) *Schediasma* I. p. 8. 21.

(s) *Schenk*, l. c. p. 397. 402.

(t) *Geuvold antithesis contra Freherum*, p. 17.

(*) *Ludwig Cod. Germ. dipl.* T. II. p. 490.

(u) *Duelli Fridericus pulcher*, p. 12.

(x) *Joannis ad Pavei hist. Palat.* p. 158.

mānia arsit octo annos, Rex *Ludovicus* a. 1318. mense Octobr. obsedit *Wisbadium* firmo exercitu: Cui *Archiepiscopus Moguntinus & Trevirensis*, cum *Ludovico* facientes, copias addiderunt suas. In qua obsidione etfi per quatuor hebdomades hærerent, tamen oppido, quod erat mōnibus, castello, & fossis satis munitum, præsidii *Gerlaci & Regis Friderici* affluens, non potiti, infectis rebus discedere coacti sunt. Antequam vero *Ludovicus* terram *Wisbadensem* relinqueret, populando, urendo agros, iræ suæ pertavit. (y)

Neque tamen *Gerlacus* illo tempore, quo *Nassovia* omnia læva patiebatur, exul fuit patria. (z)

Intera *Nassovius* non desit amicitiam *Friderici Austriaci* diligenter colere, illique omnia, quæ poterat, præstare officia. Quo factum est, ut *Fridericus* non solum *Gerlaco*, sed etiam *Walramo Henrico & Joanni, Comitibus Nassovii, Gerlaco Limburgico, & Lutbero Isenburgico* pro præstitis officiis redditus ex *Wezlaria & castro Carlsmund* a. 1320. oppignaret, donec assignata pecuniæ summa illis fuerit perfoluta. (a)

Tandem *Bavarus* nostro a. 1323. reconciliatus, gratiæ dedit documenta. Privilegia, ab Rege *Alberto* erepta, oppido *Wisbadio* a. 1329. renovavit, & confirmavit. (b) Eodem anno Rex *Gerlaco* jus metallæ fodiendi, & monetæ cudendi liberalissime concessit, (c) Quanti deinde *Ludovicus* nostrum fecerit, vel ex hoc intelligitur, quod illum dignitate legati a. 1331. ad *Pontificem* miserit *Roman.* (d) Præterea ut *Nassovii* Comites cum *Dynastiis de Eppenstein*, sapius in certamen venerunt, ita

E e 3

etiam

(y) *Joannis T. I. rer. Mogunt. p. 642. Tribemius Chron. Hirs. P. II. p. 141.* Eodem anno Rex *Ludovicus & Baldwinus Archiepiscopus Trevirensis* ad instantiam *Petri, Archiepiscopi Moguntini* oppidum *Wisbaden*, ubi sunt *Therma, & Castellum Scharpfenstein*, quæ erant ex parte *Friderici Ducis*, obsidione circumdederunt. Verum obsidione per aliquot dies firmata, cum se viderent propter locorum fortitudinem nihil posse perficere ad alia se transtulerunt. At hic auctor errat, referendo obsidionem ad a. 1316. quia multæ Regis litteræ sunt datæ a. 1318. in castris apud *Wisbadium. Gud. Syll. p. 488. & 490. Knipschild de civitat. Imp. p. 736. Mager de advocatia armata. p. 46. Mencken. script. rer. Germ. T. I. p. 414. conf. Schenk l. c. p. 253. seq.*

(z) Testes sunt litteræ quædam feudales, hoc anno datæ. *Senckenberg prod. Jur. Fond. p. 144.*

(a) de *Ludolf obs. forens. P. II. fasc. II. p. 318.*

(b) *Schenck, l. c. p. 256.*

(c) *Schenck, p. 182.*

(d) *Hagelgans, l. c. p. 15.*

etiam id tempore *Gerlaci* aliquoties accidisse, non est dubium. Quum igitur inter *nostrum* & *Gottfridum* de *Eppenstein* orta esset controversia, *Didericus* de *Runckel* an. 1319. arbiter constitutus, illam diremit. (e) Quæ vulnera etsi paulo post a. 1320. recrudescerent, tamen non deerat ratio illis breviter medendi. (f)

Pari modo *Philippus* de *Falckenstein* utrosque *Dominos*, quorum ciues in contentionem venerant, a. 1321. reconciliavit. (g)

A. 1324. *Gerlacus* ejusque frater *Walramus* ultima vice in rebus imperii una occurrunt, in quadam scilicet transactione, qua *Dynastis* de *Eppenstein* repignorationem castri *Cleeberg*, aliorumque bonorum concedunt. (h)

Interea *Gerlacus* post obitum fratris *Walrami* nihil omisit, quod ad dilatandos imperii sui fines pertineret. Auxit enim suas terras, cum a. 1327. emeret comitatum *Vilnavie*. (i)

Neque id parvi æstimandum est, quod, a. 1328. filium suum *Gertraudem* de *Mehrenberg*, heredem solam omnium bonorum paternorum, desponderet, adeoque *Nassovia* ex hoc matrimonio insigne caperet incrementum. (k) Et quis non religioni ejusque cultori *Gerlaco* honorificum esse putet, quod a. 1340. mense Augusto ex *Ecclesia Idsteinensi parochiali*, facta sit *Collegiata*. (*)

Interim *Gerlacus* gravis annis, otium negotiis præferens, imperium filiis suis *Adolpho* & *Joanni* tradere decrevit. (l)

Quo-

(e) *Senckenberg Select.* T. II. p. 307.

(f) *Senckenberg*, l. c. p. 310.

(g) *Idem* l. c. p. 309.

(h) *Idem* l. c. p. 313.

(i) *Hagelgans*, l. c. p. 15.

(k) *Hagelgans*, l. c.

(*) Testes sunt litteræ fide dignæ in hanc sententiam scriptæ: *Baldewinus* Archiepiscopus *Trevirensis*, & *Robinas* de *Henburg*, archidiaconus ibidem, fecerunt ex parochiali ecclesia in *Edenchainstein* collegiatam ecclesiam, & ordinarunt primum Decanum *Henricum* quendam, qui *Idsteinii* Presbyter prius fuerat, cui sex Canonicos addiderunt: petente id a *Trevirensibus* *Gerlaco* Comite in *Nassau*, qui redditus *Landsteinianos* & *Capellæ* prope *Etschainstein* sitæ & a prædicto Comite fundatæ huic collegiatae *Ecclesiæ* adjunxit. Acta hæc sunt anno 1340. Mense Augusto.

(l) *Reinhardt's kleine Ausföhrungen*, P. II. p. 345.

Quorum autem frater *Gerlacus* vir sacri ordinis factus, Archiepiscopus Moguntinus, a. 1347. terris paternis renunciavit. (m)

Quo facti fratres *Adolphus & Joannes*, a. 1351. primum, & a. 1355. alterum *confraternitatis pactum* inierunt. (n)

Eodem anno Rex *Carolus IV.* *Gerlaco* nostro benevolentia dedit signa, cum locum *Sonnenberg* prope *Wisbadium* ad dignitatem oppidi eveheret, variisque privilegiis ordinaret. (o)

Ipse vero Comes *Gerlacus*, aetate exacta, a. 1361. mortuus in *Monasterio Clarenthal*, sepultus est. (p)

Bis ille matrimonium inierat. Prima conjux erat *Agnes* filia *Henrici secundi*, Landgravii *Hassiae*, quae *Nassovio* circa a. 1307. fuit nupta. (q)

Diem obiit supremum a. 1332. & data est sepulturae in *Monasterio Clarenthal*. (r)

Altera conjux *Irmgard*, filia *Comitis Hohenloensis*: quod conjugium ante a. 1340. existisse certum est. Neque dubium videtur, illam suo marito fuisse supersitem. (s)

Nunc venio ad filias *Regis Adolphi*: ex quibus *Imagina* virens aetata e vita migravit. *Adelheid*, filia natu maxima, exemplo aviae *Adelheidis* inducta, sacri ordinis studiosa in *Monasterio St. Clarae* Moguntino sociata, postea in cenobio *Clarenthal* *Priorissa*, denique circiter 27. annos *Abbatissa*, ibique a. 1338. mortua, atque humata fuit. (t)

Mechtild, tertia *Adolphi* filia, nupta est *Rudolpho*, filio *Ludovici Comitis Palatini*. (u)

Illam

(m) *Hagelgans*, p. 22.

(n) Idem, p. 16.

(o) *Schenck*, p. 183. seq.

(p) *Hagelgans*, l. c.

(q) *Kuchenbecker anal. Hass.* Coll. XII. p. 385.

(r) *Hagelgans*, p. 15.

(s) Idem l. c. *Joannis* ver. *Mog.* T. I. tab. ad p. 778.

(t) *Joannis* T. II. ver. *Mog.* p. 930. in hanc sententiam scribit: Caterum e sanctimonialibus, quae seculo XIII. hoc in *Parthenone* vixerunt, memoranda veniunt *Cæsaris Adolphi* soror *Richardis*, & filia *Adelheidis*, quarum illa dein prima *Cenobii* recens ab eo excitati, *Clarenthal* prope *Wisbadam* constituta fuit *Abbatissa*, sive *rectrix virginum sacrarum*, hac vero *regi* servando *praefecta*, quam ex ordinis consuetudine *Priorissam* vocant. *conf. Schediasma VIII.* p. 153. *Schenck*, l. c. p. 400.

(u) *Tolneri cod. dipl. ad hist. Palat.* de a. 1313. p. 50. seq.

Illam *Adolphus* a. 1294. *Rudolpho Norimbergæ* collocavit. (x)

At facile conjectura consequi possumus, matrem *Rudolphi* sororem *Alberti* *Austriaci*, quæ *Adolpho* propter dignitatem regiam fratri præreptam erat infesta, aliquamdiu huic conjugio obstitisse. (y) *Adolphus* autem qui antea odium *Ludovici* severi satis erat expertus, non dubitabat, fore ut ex hac conjunctione maxima emolumenta in se redundarent. (z)

Itaque gener *Rudolphus* focerum suum cum multis copiis in *Thuringiam* & *Misniam* proficiscentem, comitatus est, illique suam navavit operam. (a)

Albertus quidem *Austriacus*, *Adolpho* inimicissimus, summa ope nifus esse videtur, ut illum a partibus foceri averteret. (b)

Sed *Rudolphum*, *Alberti* invidiæ incuriosum ad salutem *Adolphi* pie conspirasse in prælio *Gellheimensi* egregia legimus documenta. (c)

Ipse *Rudolphi* conjux in consortium fortunæ secundæ & adversæ mariti sui erat assumpta. Graviter ferens obitum patris sui, maritum suum impulisse putatur, ut injuriam patris ulcisceretur. (d)

De mutua animorum *Rudolphi* & *Mechtildis* conspiratione non est causa, cur dubitemus. (e)

Quamdiu discordia inter fratres aberat, illorum domus prospera & jucunda utebatur fortuna.

Quum

(x) *Albert. Argent.* p. 105. & 109. ubi Meza vocatur. conf. *Joannis in not. ad Pærei hist. Palat.* L. IV. Sect. 2. p. 159.

Geschichte des römischen Königs *Adolphs*, ex fontibus, p. 115. seq.

(y) *Aventinus annal.* Boj. p. 693.

(z) Conf. *Martini Poloni ap. Eccardum T. I. corp. hist. med.* ævi p. 1430. Tunc *Adolphus*, ut se roboraret in regno, filiam Regis *Bohemiæ* filio suo recepit in uxorem, aliasque parentales contraxit, videlicet cum Duce *Bavariæ* *Palatino*.

(a) *Compilatio Chron. rer. Boj.* ad a. 1294. apud *Oesele T. II.* p. 340. *Schediasma IV.* p. 89. seq.

(b) *Aventinus* memoriæ prodit: *Rudolphus* ad focerum vocatus, ab avunculo detentus, venire detrectavit, quam ob rem Cæsar genero iniquior, rursus *Misniam* petiit.

(c) *Schediasma IX.* p. 183.

(d) *Fugger*, p. 227.

(e) Temere refert. *ant. hist. Austr.* ad a. 1303. Dux *Rudolphus* *Bavariæ* inculpatus & deonestat uxorem suam, habuit eam suspectam cum quodam milite, dicto *Elinge*.

Quum uterque a. 1311. Monasterio *Schanau* quandam donationem conferrent, *Mechtild* illam suo consensu confirmavit. (f)

Quid? quod litteræ proferuntur, quibus *Mechtild* a. 1313. affinem suum *Ludovicum* blandis verbis appellat dilectum *fraterculum*. (g)

Verumenimvero illis hanc felicitatem invidit fortuna. Inter illas contentiones de regno, ut supra diximus, *Rudolphus* tantis difficultatibus circumventum se vidit, ut cum conjuge, dum viveret, in fuga & miseriis versaretur. (h)

Postquam autem *Rudolphus* a. 1319. perfunctus est fato, *Mechtild* gratiam *Ludovici* supplex quærens, non frustra ab eo auxilium petiit. Illi *Heidelbergam* redeundi facta est potestas. Ipse vero Rex tutelam liberorum fratris suscepisse dicitur. (i)

Neque *Ludovicus* obtitisse videtur, quo minus illi liberi etiam in tutela *Joannis*, *Comitis Nassovii* a. 1320. fuerint. (k)

Ipsa *Mechtild* a. 1332. vitam amisit, atque in *Cænobio Clarenthal* sepulta fuit. (l)

Ex illius genere procreati sunt *Principes*, qui *domum Palatinam*, ad tempora nostra propagarunt.

Ex his igitur, quæ hætenus de *familia Regis Adolphi* protulimus, facile intelligitur, illam tanto Rege fuisse dignam.

(f) *Schannat hist. Wormat.* p. 42.

(g) *Gerbold antithesis contra Freberum*, p. 17. *Tolner cod. ad hist. Palat.* p. 82.

(h) *Tolner, hist. Palat.* p. 98. *Nicol. Burgundus in Electoratu Bavaria*, p. 51.

(i) *Joannis ad Pavei hist. Palat.* p. 159. *Nauclerus generat.* Vol. II. p. 247. commemorat. *Rudolpho* mortuo uxor ejus nomine *Meza* cum filiis ad *Heidelbergam* oppidum declinavit, *Ludovicus* vero filiis, quia minores erant, tutor in *Bavaria* factus est.

Plura de magnanimitate *Cæsaris* in liberos *Rudolphi* refert *Pistorius in amicitibus historico-juridicis*. P. III. p. 647.

(k) *Lehmanni Chron. Spir.* p. 672.

(l) *Hagelgans*, l. c. p. 14.

F I N I S.



Ff

Quod

Quod reliquum est, omnes qui Institutis GYMNASII, bene cupiunt, majorem in modum oramus atque obsecramus, ut Solemnibus nostris examinando & audiendo benevole interesse velint.

HORA VIII. MATUTINA.

Examen publicum instituetur.

DIMIDIA PARTE HORÆ II. POMERIDIANÆ.

Ego quidem, qui annum vigesimum secundum ago, ex quo in GYMNASIO NOSTRO operam meam docendo consumsi, nunc a SERENISSIMO PATRIÆ PATRE Pastor Ecclesiæ, quæ est Strinzæ Trinitatis Nass. designatus, GYMNASIO, (quod Deus semper florentissimum esse jubeat!) *valedicturus*, mei memoriam commendabo, præmissa de pretio litterarum humaniorum oratiuncula Latina.


Deinde vir maxime reverendus atque doctissimus, JO. ADAM. STRITTER, per sex annos Gymnasii Prorektor meritissimus, *ma* Rektoris adeundi causa, Auctores Classicos etiam hodie morum Magistros prædicabit. Lat.

Tum vir plurimum reverendus ac doctissimus, JO. HENR. KULEMEIER, duodecim annos Conrektor gravissimus, jam Prorektoris spartam nactus, fiduciam in præceptoribus nisam discipulis commendabit. Germ.

Postea vir admodum reverendus & doctissimus JO. ANDREAS RIZHAUB, decem annis, & quod excedit, Sub-Conrektor prudentissimus, munus Conrektoris suscepturus, de vacatione a militia apud veteres Romanos differet. Lat.

De-


Denique *vir admodum reverendus atque doctissimus* JO. CHRISTIAN. FRIDERICUS BICKEL, *septem annos Ecclesiae Strinzensis Margaretae pastor fidelissimus, ad officium Conrectoris secundi accessurus, curam animarum in scholis adhibendam celebrabit.* Lat.




Cæterum *bonarum artium* ALUMNI ex Classe prima declamabunt GYMNASIO *valedicturi*:

- 1) Jo. Henr. Philipp. Wilh. SCHMIDBORN, Gräfenwisbaco - Naffovius. *de providentia Dei circa juventutem hominis.* Germ.
- 2) Frid. Christian. HANDEL, Wisbadensis, *de fructu, ex scholis in rempublicam redundante.* Carm. Germ.
- 3) Christ. Wilh. HENCK, Idsteinensis, *de amore patriæ.* Gall.
- 4) Jo. Christian. FRIDERICH, Erbenhemio - Naff. *de adolescente, vitæ integro, scelerisque puro.* Lat.
- 5) Ernest. Gerhard. Cornel. PAGENSTECHER, Oberneyfa - Naff. Araucicus, *de præmiis virtutis naturalibus.* Germ.
- 6) Jo. Nicol. WALDSCHMIDT, Manhemio - Palatinus, *de nonnullis animi commotionibus.* Germ.
- 7) Joannes ACKERMANN, Wezlariensis, *de laudibus Musicæ.* Germ.






Denique six annorum verentibus atque doctissimus Jo. CHRIS-
TIANUS FRIDERICUS HACKEL, septem annos Scholae Stiri-
acensis Praefectus, postea doctissimus, ad officium Conrectoris scholae
accessit, curam annuam in schola anni perantem celebravit. Lac.



- Ceterum bonorum artium ALUMNI ex Classe prima
declamabant GYMNASIO celebravit:
- 1) Jo. Henr. Philipp. WILH. SCHMIDTSON, Grafenwischaco - Nallovius.
de praesentibus Dei circa juvenibus bonum. Gern.
 - 2) Frid. Christian. FRANK, Wittenberg, de fide, et schola in
republicam reprobata. Gern. Gern.
 - 3) Christ. WILH. HANCK, Idsteinensis, de amore patriae. Gall.
 - 4) Jo. Christian. FRIDERICH, Eichenheimis - Nalli de adolescent, vita
integra, festivitatis. Lac.
 - 5) Fridr. Gert. GORD. FROSTBERGER, Oberndorf - Nall. Ann.
fide, de praevalit virtutis naturalem. Gern.
 - 6) Jo. Nicol. WILHELM, Mandemio - Paltinus, de novissimis
animi commotionibus. Gern.
 - 7) Joannes AEREMANN, Westphalia, de iustitia. Gern.





No 1627. 8

KO7P

ULB Halle


3


006 305 962



n.c








S C H E D I A S M A
DECIMUM ET ULTIMUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORUM

SPECIATIM DE PERSONA ET FAMILIA.



Q V O
AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

VERNAM

D. XIII. MENSIS MARTII, A. R. S. MDCLXXX.

CONCELEBRANDAM,

PATRONOS, FAVTORES,
ATQUE
AMICOS LITTERARUM

OMNI OBSERVANTIA
INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

